

EPISTOLA

qua Pius PP. X commendat sollertiam Societatis Caecilianae in cantu gregoriano.

PIUS PP. X

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Societatem Caecilianam iamdudum apud vos ex instituto id agentem, ut Cantus Gregoriani scientiam peritiamque in usum sacrorum late promoveat, merito tu quidem ac iure Nobis commendasti. Dignum enim omni commendatione studium est hominum, in re elaborantium, quae quum ad sanctissimas caeremonias, ea qua par est religione, peragendas conferat, magnopere ad fovendam pietatem publicam valet. Ex istorum autem a S. Caecilia sodalium sollertia industriaque fructus evenire, ubicumque germanicus sermo obtinet, laetos atque uberes, quamquam non ignotum Nobis erat, iucundum fuit ex tuis quoque litteris cognoscere. Nominatim didicimus libenter ipsorum operam in finibus dioecesis tuae proficere et valere plurimum. Itaque non potest esse dubium, quin Caeciliana Societas aequè probetur Nobis, ac decessoribus Nostris Pio IX et Leoni XIII fel. rec. probaretur: nec Nos minus habemus certum, fore ut illa novis praescriptionibus, quas in hoc genere dandas censuerimus, eadem voluntate et fide obsequatur, qua obsequi Sedis Apostolicae mandatis consuevit. Eidem interea non exiguas nec vulgares laudes, quas meretur, Nostro etiam nomine tribuas, volumus: simulque divinorum munerum auspicem ac benevolentiae Nostrae testem habe tibi, dilecte Fili Noster, Apostolicam benedictionem, quam laudatae quoque Societati universae et clero populoque tuis curis credito peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die i Decembris MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

*Dilecto Filio Nostro Uberto Antonio
S. R. E. Presb. Card. Fischer
Archiepiscopo Colonien.*